

# SACRARUM, HEBRÆARUMQUE LITERARUM STUDIO SIS, IN ILLUSTRARI ACADÉMIA JENENSI, S. P. C. P. P.

M. PETRUS PISCATOR, THEOLOGICÆ ET SANCTÆ LINGUÆ PROFESSOR PUBL.



## In Mysteriorum divinorum dispensatore fideli, duo cum primis Divus requirit

Apostolus: Morum nimirum primùm vitæq; sanctimoniam, ita quidem, ut quantum in hac naturæ hominum imbecillitate fieri potest, ἀνεργησὶς καὶ ἀπειρησὶς, quilibet esse studeat: ne quod una manu ædificat, altera rursùm destruat & evertat. Non enim bonam duntaxat conscientiam (monente alicubi D. Augustino) habere curemus, sed quantum nostra potest infirmitas, quantum fragilitatis humanæ vigilantia concedit, nihil etiam designare conemur, quod infirmo fratri in malam suspensionem venire possit. Qua de re pluribus agit Apostolus 1. Tim. 3. Tit. 1. Huc alterum accedit oportet apprimè necessarium, ut, ὁ τῶ θεῶ ἐκπόσιμος, Tit. 1: 7. sit ἀνηχησὶς καὶ τὸ κατὰ τὸν διδασκάλου πρὸς λόγον, ἡ δὲ διανοησὶς καὶ τὸ ὑπερκαλῶν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαίνουσῃ καὶ τὰς ἀπειρησὶς ἐλέγχουσι καὶ ὀπίσκειν, uti Gentium Doctor Tit. 1: 9. & 11. scriptum reliquit.

Dura sanè hæc atq; ardua provincia, quæ DEI Oeconomo administranda committitur ac demandatur. Non enim sanè duntaxat doctrinæ, divinitus patefactæ revelatæq; cognitionem, in eaq; perseverantiam immotam requirit; non professionem ejusdem ἐκ θέσιν solum postulat: sed, ut errores etiam omnis generis atq; corruptelas varias, è solidis factarum Scripturarum fundamentis, in Antithesi, refellat ac confutet, efflagitat. ὅς ἰσχυρὸν fortè rerum divinarum tractationem ferre poterant aliqui: At, ubi juxta commonitionem Apostolicam, ad ἀντίθεσιν progressus fueris, ibi verò Crabrones, quod vulgato jaçtatur proverbio, iritaveris, & Camarinam continuo moveris: ita quidem, ut invidiæ, ut persecutionibus, ut odio plusquam Vatiniano, ut calumniis atrocissimis, temetipsum exposuisse temerè, judicaris. Nihil hic de donis variis, iisq; permagnis, dissero, quæ in ejusmodi dispensatore fideli coruscare debebant & effulgere: quæ certè in spiritali ista militia tanta sunt, ut ipsemet Paulus, Apostolus τρισημέρας, exclamet haud injuria 2. Cor. 2: 16. καὶ πρὸς πάντας τὴς ἡμέρας; Ad hæc quis idoneus? Verum enimverò levamen haud exiguum, adeoq; solarium prælustre suppeditare Paulinum illud poterit, quod 1. Cor. 4: 2. legimus: Hoc requiritur in dispensatoribus, ut fidelis quis inveniatur, h. e. quemadmodum alibi monet Apostolus, ut attendat lectioni 1. Tim. 4: 13. adeoq; precibus adhibitis ardentibus, imploratoq; Spiritus S. auxilio Matth. 7: 7. Marc. 11: 24. Luc. 11: 9. & seqq. Vocationis operas strenuè diligenterq; expedire allaboret: si maximè ad Aristophanis, quod dicitur, Cleanthisq; lucernam non omnia fortè omnibus tornata satis, elaborataq; esse videantur. Nam, (ut præclare alicubi Hieronymus) de Scripturis disputantem, non Aristotelis decet argumenta conquirete: nec è flumine Tullianæ Eloquentiæ ducendus est rivulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcenda: sed pedestris ac simplex oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet. Quod si ergo piè religioseq; DEI solius honos spectetur, jubente Apostolo 1. Cor. 10: 31. πάντας εἰς δόξαν θεῶ ποιῆτε: Si ad discipulorum fideiq; nostræ concreditorum utilitatem atq; ἐπιδομεῖν 1. Cor. 14: 12. unice attendatur: Si deniq; in obeundis vocationis munitis, studium indefessum adhibeatur: licet ἐκ μέρους duntaxat nostra, in terreno hoc ergasterio, rerum Theologicarum sit maneatq; cognitio 1. Cor. 13: 12. prosperè tamen feliciterq; succedent omnia, ac finem optatum consequentur. 1. Cor. 15: ult. Huc equidem, quod citra ullam jaçtantiam dixerim, tanquam ad Cynosuram, ac statuam quandam Mercurialem, in professione publica, cui divina benignitate atq; concessione, per Octennium jam, uno saltem Mense demto, καθύναμι præfui, identidem mihi respiciendum esse duxi. Ideoq; id cum primis dedi operam, ut Linguæ Hebrææ, quam ab Autore Sanctam appellamus, cognitionem, ceu fundamentum omnis sincerioris Theologiæ, thesaurum nobilissimum preciosissimumq; studiosæ Juventuti instillarem. Hoc sine Rev. Dn. Dinekeli primùm; Mox Clenardi, præceptiones publicè explicavi. Tandem, juxta naturalem artificiosamq; Methodum, Etymologiæ & Syntaxeos Hebrææ, tum Conjunctæ tum Separatæ, præcepta collegi, inq; artis formam redacta, Auditoribus meis, ἀφθονῶς καὶ εὐλογοῦντες communicare volui: & quidem, ut quotannis ferè, propter novos subindè accedentes Academiæ hospites, semel ejusmodi prælectiones absolverem, laboravi. Quin & in eorum gratiam, qui majores, eosq; laudabiles, in studio Hebræo progressus fecissent, Linguarum etiam, Chaldææ & Syriacæ præcepta, anno supra millesimum sexcentesimo primo, ad naturalis Methodi rationem conformata, publicis scholis proposui, quæ sparsim ab aliis, Münstero, Mercero, Wafero, Aurogallo, Tremellio, Bertramo, Angelo Caninio, præsertim verò doctissimo Andrea Masio, jam pridem tradita fuerunt. Ne verò sterili tantummodò Grammaticali agro Studiosi φιλιβροῦναι adhaerescerent: præter Exercitia privata in gratiam studiosorum Theologiæ instituta, Usum quoq; Linguarum istarum commonstrandum esse judicavi. Quo nomine Prophetarum nonnullorum, Haggæi videlicet, Joëlis, Obadiæ, Malachiæ, Habakuk & Zephanie, Enarrationem subjeci, qua Vocum Analyti præmissa, Dispositionem, Textus explicationem, Locorumq; quos vocant, Communionem, sive doctrinarum fasciculum attexui: quorum omnium usus frequens & insignis in Concionibus è suggestu habendis esse potest, quemadmodum facillimè deprehendent ii, qui prælectionibus istis assidui interfuerunt. Præterea, absoluta ἐξηγήσει psalmorum quorundam, 16. sc. 82. 125. &c. Duorum priorum Capitulorum Danielis, secundi potissimum Chaldaicè à propheta scripti; & Evangelistæ Matthæi Capitis primi Syriaci, nec non Capitis LIII. Esaiæ, cujus expositionem superiori anno ad umbilicum perduxi: Ad psalmorum tandem Pœnitentialium VII. Enarrationem animum adjeci. Absoluto verò, præterita septimana psalmo XXXVIII. pœnitentiali tertio, C R A S, σω τῶ θεῶ, ad Psal. LI. ἐξάπλωσον, hor. 1. pom. tribus prioribus cujuslibet septimanæ diebus, uti per sesquiannum consuevi hætenus, progrediar: Posteriori v. biduo, Hebraicas præceptiones, θεῶ δίδόντῃ, persecuturus. Adjiciam a. Explicationem Grammatices, quam sequente septimana absolvere constitui, peculiarem Affixorum quorundam usurpationem artificiosam: Hanc Accentuum Hebraicorum Enodatio subsequetur: Tandem etiam, Colophonis loco, conscribendorum Verborum Hebraicorum rationem, DEO clementer annuente, perspicuè ac breviter commonstraturus. Cæterum absolutis hisce omnibus, quod intra quadrantem anni, vel ad summum intra semestri spacium fieri posse, conjicio, quid deinceps propositurus sim, peculiari, DEO volente, programme, significabitur. Vestrum erit, Studiosi Ornatissimi, expendere illud Solomonis Proverbiorum 10: 5. אֲנִי בָקִי בֶן שֹׁכֵל נָדָה בָקִי בֶן מְבִישׁ : מְבִישׁ בֶּן שֹׁכֵל וְשֹׁכֵל בֶּן מְבִישׁ : מְבִישׁ בֶּן שֹׁכֵל וְשֹׁכֵל בֶּן מְבִישׁ : conflueverunt vulgò dicere Hebræi quod Et

Itemq; id, cujus meminit Cicero in Epistolis: Ζώσης Φωνῆς μείζω ἐπισημασῶ ἑαυτά. Sed manum de tabula. DEUM præpotentem, patrem Domini & Servatoris nostri JESU CHRISTI, ut per Spiritum Sanctum suum, nostris docendo, discendoq; clementer & affatim benedicat laboribus, toto pectore, votisq; ardentibus rogamus & precamur. V V. P. P. Jenæ 21. April. anni τῆς τῶ λόγου ἐναυθρηπίστους 1605.

TYPIS CHRISTOPHORI LIPPOLDI.